

virtus, ut omnes fatemur, altissimum locum in homine et maxime excellentem tenet, et quod eos, qui sapientes sunt, absolutos et perfectos putamus: aciem animorum nostrorum virtutis splendore praestringitis. In omni enim animante est summum aliquid atque optimum, ut in equis, in canibus; quibus tamen et dolore vacare opus est et valere. Sic igitur in homine perfectio ista, in eo potissimum, quod est optimum, id est in virtute laudatur. Itaque mihi non satis videmini considerare, quod iter sit naturae, quaeque progressio. Non enim, quod facit in frugibus, ut, quum ad spicam perduxerit ab herba, relinquat, et pro nihilo habeat herbam, idem facit in homine, quum eum ad rationis habitum perduxerit. Semper enim ita assumit aliquid, ut ea, quae prima dederit, ne deserat. Itaque sensibus rationem adjunxit; et, ratione effecta, sensus non relinquit: ut si cultura vitium, cujus hoc munus est, ut efficiat, ut vitis cum partibus suis omnibus quam optime se habeat; sed sic intelligamus (licet enim, ut vos quoque soletis, fingere aliquid docendi causa); si igitur illa cultura vitium in vite insit ipsa, cetera, credo, velit, quae ad colendam vitem attinebunt, sicut antea; se autem omnibus vitis partibus praeferat, statuaturque nihil esse melius in vite, quam se: similiter sensus, quum accessit ad naturam, tuetur illam quidem, sed etiam tuetur se: quum autem assumpta ratio est, tanto in dominatu locatur, ut omnia illa prima naturae hujus tutelae subjiçantur. Itaque non discedit ab eorum curatione, quibus praeposita vitam omnem debet gubernare: ut mirari satis eorum inconstantiam non possimus. Naturalem enim appetitionem, quam vocant ὄρμητιν, itemque officium, ipsam etiam virtutem, esse volunt earum rerum, quae secundum naturam sunt. Quum autem ad summum bonum volunt pervenire, transiliunt omnia, et duo nobis opera pro uno relinquunt, ut alia sumamus, alia appetamus, potius, quam uno fine utrumque concludant.